



1. Andreae s. Jacobi s. diff. de usu.
calicis in Synaxi tubingae
1560
2. ————— diff. de peccato
originis, tubingae 1589.
3. Balduini s. Frid. s. quaestiones
illustres ex Epistolis ad
philipenses et Colossenses
eruta, Wittenb. 1617.
4. Bechmann s. Fridem. s. diff.
de locutione Angelorum,
jenae 1661.

52

QV AESTIO

DE DICTO PAVLI
COLOS. II.

*Videte, ne quis vos depradetur per
PHILOSOPHIAM*

ET
RESPONSIO

per
D. IOHANNEM
VVigandum.

RECITATA IN ACADEMIA
Regiomontana, in publica Magistrorum
promotione 22. Martij, Anno

1575.

REGIOMONTI
Typis hæredum Iohannis Daubmanni.
Impensis Christophori Hoffmanni

MAGDEBURGI

*Denuò Excudebatur ab Andrea Dunckero
ANNO 1600.*

OTAVIO
MEDICOT PAVAL
CORO II
ESTO N 210
D. J. HANSEN
WILHELM
ITONOTI



QVÆSTIO DE
DICTO PAULI
COLOS. II.

*Videte, ne quis vos depradetur
per Philosophiam.*



IRANDVM & inexplicabile
DE Idonum est sermo hominis,
quo sensa homini arcana, sono
oris articulado potest pingere &
explicare, ita, ut alij audire atq; in-
telligere queant, quid alius in inti-
mis sui cordis recessibus cogitarit menteq; con-
ceperit. Necdubium est, principalem humani
sermonis finem esse, Vt Deum eiusmodi ratio-
nali sono glorificet, hoc est, ut homines Deum
invocent verbis convenientibus, & eius benefi-
cia amplissima celebrent, seseq; mutuo de rebus
pietatis erudiant. Deinde, vt reliquas artes Vitæ
humanæ necessarias, mutua συζητήσια eruant atq;
illustrent, easq; alijs communicent ac tradant.
Tertio, vt in gubernatione politiarum & œco-
nomiæ, in collatione de controversijs, ac di-
cendo iure, in contractibus cæterisq; actionibus,
hoc medio utantur.

Neq; vero post seriam pietatem, Vllum in
homine pulchrius est eramentum, quam facul-
tas dicendi vel saltem mediocris, ac neminem
credo inter nos quidem tam esse malè institutū,
aut barbarum, qui non malit aliquem de rebus

divinis vel politicis, pie, graviter, nervose & ornate differentem audire, quam cataphractum aliquem videre militem stringentem gladium ad hostes feriendos, licet in milite etiam heroica Virtus, suo quodam ordine, admirationem mereatur. Verum hac de re non est nunc prolixius dicendi locus.

Ego igitur non dissimulo, me post sacras conciones, eiusmodi scholasticos conventus maximi facere, quod in ijs audiam sermones eruditos fundi, qui me & alios de magnis & utilibus rebus commonefaciant, & plurimum delectant.

Semper autem hactenus in eiusmodi quidem loco, audire malui quam audiri, conscius mihi tenuitatis meæ, & (uti debeo) tot præstantissimorum virorum præsentiam cum reverentia intueor. Sed quia Spectabilis Decanus, promotor noster benevolentissimus, & optime de nobis meritis, hoc tempore mihi quoq; aliquas dicendi partes iniungit, idq; pro consuetudine talium actionum, qua possum reverentia Vos omnes oro, ne, quod lege quadam scholastica cum obedientia modesta facere debeo, mihi vitio vertatis, & brevem orationem patienter audiat, Vestramq; erga me benevolentiam declaretis.

Materiam dicendi non petam longe, licet ex festo propinquo, de Unione personali duarum in Christo Naturarum, deq; communicatione Idiomatum, & ex passione nostri Servatoris, cuius memoriam hoc anni tempore recordamur, imo passim multa ex sacris Biblijs mihi, Theologicæ functioni consecrato, occurrerent: Sed tantum

tūm quæro, an ex dicto S. Pauli Colof. 2. Videte, ,,
ne quis vos deprædetur per Philosophiam: Se- ,,
quatur, Vniversam Philotophiam, ex foro Eccle- ,,
tiæ abigendam & exterminandam esse?

Hoc autem vt quærerem, me quorundam ,,
inclementia (vt nihil acerbius dicam) movet, ,,
qui Vociferantur; indignum Theologo esse Ma- ,,
gisterij Philosophiæ titulum non aspernari, ac ,,
postea odiose damnant eos, qui in sacris dogma- ,,
tibus tradendis, aliqua bonarum artium Vocabu- ,,
la, citra tamen rerum divinarum iacturam, vsur-
pant. Censeo igitur recte esse iuventutem infor-
mandam, ne odia aduersus sanam ac sobriam
Philosophiam concipiat, neve plus ei tribuat quã
oportet, aut præposteratq; perniciose eam re-
bus divinis immisceat.

Equidem summæ autoritatis Apostolus est,
qui ista pronunciat: Videte ne quis vos depræ-
detur per Philosophiam, & habet testimonia lu-
culenta ex cœlis, quod non erret. At sunt ista ver-
ba valde severa & ponderosa. Excitat enim Chri-
stianos omnes, tanquam in periculo omnium
summo, vt etiam atq; etiam attendant, ne latro-
ni prædæ fiant. Audimus jam Moschum in fini-
bus Livoniæ, ferro flammaq; maximã adidisse
stragem, ibi profecto non fuit iocus, quando Vi-
ri graves clamauerunt, Vigilate optimi homines
ne vos Moschus deprædetur, & in servitute
tristem abripiat, aut veluti feras miserabiliter
mactet. Iam vero S. Paulus de Philosophia ista
pronunciat. Sic igitur nonnulli argumentantur.

A 3

Quicquid

Quicquid perniciosum est saluti hominum æterna, id omni studio vitandum & execrandum est.

Sed Philosophia deprædatur homines, ut Paulus loquitur, hoc est, à Salute æterna eos abripit, atq; in perniciem horrendam conjicit.

Ergo Philosophia est fugienda & removenda.

Minor exaggeratur experientia omnium temporum. Nam hoc inficiari nemo potest, quin pleræq; hæreses in Ecclesia Dei, ex Philosophia, sua quali fundamenta & stabilimenta hauserint. Arius enim ex hisce principiis Philosophicis suas blasphemias extruit. Quicquid genitum est, non est æternum. Item: Filius non est coæuus Patri. Hæc ad Filium Dei applicat. Valentinus ex Platone suos Æonas producit, Marcion ex Stoicismo sua paradoxa fugit, ac vetus Ecclesiæ scriptor Tertullianus, non uereretur, Philosophos Patriarchas hæreticorum proclamare, quod quidem dictum Hieronymus & alij summi Theologi repetunt.

Quantum in Ecclesia Christi, iam à quadringentis potissimum annis, damni dederit Philosophia Gentilis, quod ea in suggestū & in ipsas conciones ad populū perlata est, ut multi senes narrent, se audiuisse Ethica Aristotelis in cathedra templi tradi & explicari: & quod in Scholasticorum de rebus divinis disputationes, passim in Scholis pontificijs est pertracta, res ipsa satis superq; docet. Nam plerosq; Fidei articulos non solum obscuravit, hæc tali loco talibusq; rebus Philosophiæ usurpatio, sed everit eos quoq; penitus,

rus, mixtamq; Theologiam peperit atq; invexit,
hoc est, confusū chaos, ex cœ. orum ethnicorum,
& ex sacris ecclesiæ Dei scriptis confiatam In pri-
mis vero Evangelij vox, de gratuita remissione
peccatorum & imputatione iustitiæ propter Chri-
stum, quā Fides accipit sine operib. nostris pror-
sus sunt deleta, ac regnavit tantum vox Legis,
Fac hoc, fac illud, & vives.

Imo, videmus hoc artificio & hodie Satanam
Evangelij lucē inuadere, ut ex Philosophicis qui-
busdā principijs plurimum caliginis ei aspergat.
Quare & nostro tempore uigilandum est, ne
Philosophia deprædeatur Ecclesiam Christi recte
institutam.

Sed contra: Non videtur Paulus tam fuisse
iniquus, ut simpliciter dānaret ac prohiberet uni-
versam Philosophiā, quæ quidē intra suas debitas
metas cōtinetur, & dextre usurpatur. Nā deducit
ipsemet Paulus suos auditores, ad pulcherrimum
illud totius Mundi theatrum, & inquit: Inuisibilia *Rōm.*
Dei ex opificio Mundi per ea, quæ facta sunt,
conspici, nempe sempiternam Dei virtutem &
divinitatem. Iam quid aliud est uniuersa Philoso-
phia, quam rerum in hoc Mundo sapiens & accu-
rata consideratio?

Ait porro Gentes nosse legem Dei, eamq; ipsa-
rum cordibus inscriptam esse, & vocat τὸ δὴμοῦμα
ἔθ. Ergo Ethicam gentilem quoq; præclaris cele-
brat laudibus.

Vtitur præterea ipsemet literis, arte Dialectica
disponit Argumenta in controversijs & dogma-
tibus omnium gravissimis. Rhetorica scientia
expo-

Tit. 1.
Act. 17.

expolitiones & colores decoros addit, & nō veretur etiā ex ethnicis Poetis quædā sacris suis scriptiōib. sed valde parce & debito loco inferere, vt de Cretensib. Epimēidis versū recitat κρητες αει ψευσαι, κακα διδρα, γασερες αργαι. Et Athenis citat verba Arati: τδ γαρ κοσμενος εσμι. Neq; vero tibi contrarius est tam eruditus Apostolus, tantisq; Spiritus sancti donis excellens.

Apparet igitur S. Paulum hac sententia, tantum de impestiua Philosophiæ applicatione in rebus divinis, seu (vt clarissime loquar) de abusu eius voluisse christianos monere, vt Philosophia intra suos cancellos prudenter detineatur, & mysteria divina seu Articuli Fidei, etiam contra Rationis humanæ dictata suam possideant authoritatem, firmaq; fide & apprehendantur & retineantur. Sed quia Philosophia sana & sobria, a contemptu vindicanda est, & confirmandi sunt animi discentium, ut sciant, se in Philosophia sedulo discenda, non ludere operam, & ut tamen præmoneantur & præmuniātur teneræ mentes, ne in rebus sacris, aliquid deprædationis metuerent, vel pati cogantur, utile est & aliorum sententias audire.

Rogo igitur Reverendum & Clarissimum Virum Dn. Doctorem Iohannem V Vigandum, huius inclytæ Academiæ Professore Theologiæ primarium, compatrem meum amanter colendum, ne gravetur tum mei honoris gratiâ, tum ad commonefaciendam juventutem, aliquid de hoc dicto Pauli disserere, id officium, cum reliquis auditoribus grato semper pectore celebrabo.

DIXI.

RESPON-

RESPONSIO

AD

QVÆSTIONEM.

REVERENDE vir, compater dilecte: Initio Filio Dei, Doctori & præceptori generis humani omnium summo, & præfidi ac Rectori piarum scholarum, toto pectore (quantum quidem in hac mea infirmitate concipere possum) gratias ago, quod doctrinam sui cœlestis verbi, & bonas artes, vitæ humanæ necessarias & utiles, etiam hoc Septentrionis loco benignè conservat, & cum humiliter oro, ut noster perpetuus Rector, Præceptor & protector in hac Schola & Ecclesia, etiam deinceps manere dignetur, ut posteritas quoque nostra (quamdiu quidē hic mundus immūsus duraturus est) pietatem ac liberales artes addiscat, suum & Creatorem ac Redemptorem, tum in hac, tum in æterna vita celebret, Amen.

Non autem dissimulo, me singulari cum delectatione animi hunc actum intueri, quo aliquot eruditi viri gradu Magisterij honesto ornantur, & hortor reliquos studiosos amanter, ut & ipsi sua pietate, diligentia & industria, ad istum eruditionis honorem frequenter aspirent. Præceptores quoq; ipsos oro & hortor, ut illas artes, quæ eiusmodi honorem promerentur, fideliter & perspicue tradant, operamq; dent, ut iusto tempore absolvantur, quo plures eius sapientiæ & honoris participes fieri queant.

B

Quod

Quod ad explicationem quæstionis de dicto Pauli attinet, non gravatim tibi morem geram, & quædam tuæ sententiæ addam, quantum Dominus Deus dederit. Et cum ordo rebus lumen afferat, & gratus sit auditoribus, primum de nativa huius dicti Paulini sententiæ, deq; abusu Philosophiæ, quem iustissime carpit Apostolus, quædam monebo. Deinde etiam attingam breviter, quis sit sanæ & sobriæ Philosophiæ, in ipsa sacratissima Theologia usus. Hæc autem digna esse consideratione, extra omnem controversiam, hoc quidem loco, ubi in ipsa officina pietatis & eruditionis versor, pono.

Utraq; EXTREMA perniciosa esse statuo, nempe, Philosophiã universam sine omni discrimine ex agris limitibusq; Ecclesiæ Dei & sacræ Theologiæ, inhumaniter explodere & profligare: Vel Philosophiam illam gentilem, nimium in altum evehere, ac supra Theologiam collocare & colere. Inter hosce duos quali scopulos, cymbulam nostram prudenter deducendam esse, intelligo, & iuxta Normam iusticiæ, Unicuiq; tribuendum esse, quod S V V M est, Nec, P L V S V L T R A.

Proinde propria & germana Pauli sententiæ, accurate spectanda est. Equidem verba sunt grandia & ponderosa: Videte inquit, ne quis vos deprædetur per Philosophiam.

Depingit enim Philosophiam istam vere *διδάκτωρ* Apostolus, tanquam insidiosum & potentem prædatorem. Nam hoc sibi vult illa vox: *ὁ συλαγωγῶν*, hoc est, oculis invidiis, ac
magno

magnorobore prædam abigens. Quis igitur non
cohorrescat, tantum fulmen a tanto viro con-
tra Philosophiam evibrari audiens?

Sed recte dictum est, ex collatione aliorum
locorum Pauli, satis manifestum effici, non esse
tam ἀμασσορ, aut barbarum, aut morosum istum,
excellentem Ecclesiæ Christi Doctorem, ut pror-
sus Philosophiam omnem conculcandam & de-
lendam censeat. Sed abusum eius merito percel-
lit, & ut ille caveatur, præmonet. Tantum vero
hoc adiungo, idem ex ipso textu S. Pauli perspicue
liquere. Nam propositio Pauli hæc est, Evan-
gelium de Christo, quod vocat *μυστήριον* ut pote,
ignotum per se Rationi humanæ, revelatum ta-
men divinitus, fideliter & constanter esse reti-
nendum. Cum autem non deessent, qui eam
doctrinam sapientia carnali diluere atq; adultera-
re conarentur, ideo ex Antithesi monet, caven-
dum esse omni diligentia, ne Philosophia Colos-
senses sua *σοφιστική* (sicut ipsemet loquitur) ca-
piat, & ab agnita veritate Fidei abducat & per-
dat. Nihil enim perniciosius in articulis Fidei
est, quam eos ad Rationis humanæ sapientiam
detorquere & flectere.

Deinde, ea quæ per appositionem seu Epexe-
gesin attexuntur, rem totam illustrant. Et ina-
nem inquit, fallaciam, secundum traditionem
hominum, secundum Elementa mundi, & non
secundum Christum. Eatenus igitur inquit, Vi-
tandam esse Philosophiæ deprædationem, qua-
renus est inanis fallacia & traditio hominum,
& Elementa Mundi, NON SECUNDUM
B 2 CHRI-

CHRISTVM, hoc est, contra Christum, & contra *μυστήριον* Dei & patris & Christi. Quando enim Philosophia impignit in Christum, Creatorem & Salvatorem Mundi: Similiter, cum Philosophia Evangelium, quod est potentia Dei ad salutē omni credenti depravat ac pervertit metas suas improbe excedendo, paulo, graviorē reprehensionem, propter honorem Christi, & salutem hominum non iniuria meretur.

Sed ista paulo amplius elucidanda videntur, recitatis quibusdam metis Philosophiæ, & expositis nonnullis excessibus seu abusibus eius.

Philosophiam autem hic intelligimus, totam illam scientiam seu sapientiam rerum, quæ Rationi humanæ extra sacras literas subiacet. Ac recte eam S. Paulus appellat σοφίαν τῆς κοίτης τῆς γῆς, ἢ τῆς αἰῶνος τῆς γῆς. Item: σοφίαν ἀνθρώπων. Metæ vero istius Philosophiæ sunt istæ:

I. Philosophia humana, nihil amplius ex sese potest scire, aut investigando consequi, quam ea, quæ sunt ex naturalibus hominum Notitiis, ex Ratiocinationibus, & Experientia. Nam hi sunt fontes, & κριτήρια sapientiæ istius humanæ. Ardet autem immoderata ambitione ulterius ascendendi.

II. Deinde, in rebus divinis ac cœlestibus, tantum ponit αἰδίον θεῶν δύναμις καὶ θεότης, teste Paulo Roma: i. hoc est, quod sit Deus, & quod sit omnipotens, justus, vindex scelerum, benefactorum liberalis compensator, & genus illud statuit: Deum esse colendum,

Defe-

Defectus autem hac in parte sunt, tenebrae
in rebus divinis Philosophiae quidem incurabi-
les, hoc est, ignorat essentiam Dei, ignorat cul-
tus Dei veros, ignorat vitae posthanc futurae ra-
tionem. Stimulatur autem mira malitia fingen-
di Numina, cultus, & alia, contra Dei ver-
bum.

Tertio, De Mundo & contentis in eo, mu-
tilam duntaxat habet cognitionem. Nam ne-
Viticæ quidem unius natura, penitus (jam qui-
dem) ab ullo hominum perspicitur potest. Et ingens
defectus est, quod primam rerum creationem
Philosophia ignoret. Insuper in plurimis cogitur
agnoscere sese caecutire. Quam enim hæret,
Philosophia in causis ventorum, in generatione
Iridis, in Euryporum uno eodemq; Mari varie-
tate, (ut de aliis jam nihil dicam) doctissimo-
rum hominum scripta testantur. Huc Physica,
Medicina, & Astronomia pertinent.

Quarto, In Ethicis totaq; Iurisprudentia,
tantum externa secundæ Tabulæ Decalogi ope-
ra Philosophia tradit, & pugnancia cum ea vitu-
perat ac punit. Affectus quidem etiam docet ali-
quo modo frenare & regere, ne quid indecori to-
to corpore erumpat. Sed ignorat præcipuam a-
ctionum humanarum causam, nempe Spiritum
sanctum, & ipsam adeo formam atq; animam
bonorum operum, nempe fidem in Christum.
Nequaquam enim hyperbolica est hæc sententia:
Quicquid non est ex fide, peccatum est. Insuper
caligines & errores in magnis parvisq; rebus, quo-
tidie ob oculos versantur.

B. 3.

Quinto

Quinto, In artibus dicendi quoq; non est
perfecta scientia, ac plurima adhuc in eis latent.
Est tamen in hac & aliis partibus Philosophiæ,
aliquid prodire tenus, si non datur ultra. Nam
ideo hæc quasi exiguas scintillas sapientiæ pri-
mis hominibus inditæ, post lapsum ex immensa
bonitate reliquas esse voluit Deus, ne homines
prorsus obbrutescerent, & Rationis istius quan-
tulæcunq; ope, discernere justa ab iniustis, co-
lerent disciplinam, & opera istius Mundi, de Cre-
atore ipsorum viva testimonia perhibentia, ali-
quantulum contemplantur, prædicarent, &
eis uterentur.

Vnde autem sint illæ tantæ tenebræ & infir-
mitates humanæ, in illis ipsis mundanis rebus,
Philosophia quidem gentilis non perspicit, Sed
sacræ literæ causam veram ostendunt, nempe,
lapsum primorum hominum, & expoliationem il-
lorum horrendam factam per Diabolum, qui ve-
re fuit *συλαγωγῶν*, hoc est, deprædans eos per su-
am fallacem Philosophiam. Nam si homines, in
prima creationis suæ dignitate perstitissent, præ-
clara in eis lux de cognitione divinarum atque
mundanarum rerum fullisset. Nec dubium est,
quin Adam ante ruinam, fuerit Philosophus o-
mnium sapientissimus & ornatissimus, cuius
quidem rei specimen egregium exhibuit, in ani-
malibus ad se aggregatis, convenientibus, & eru-
ditissimis Nominum notis discernendis atq; in-
signiendis. Sed ista hoc loco atq; tempore sunt
reliccanda.

Excef-

Excessus itaque extra limites enumeratos, seu
abusus Philosophiæ humanæ, sunt isti potissi-
mum:

Primum: Extra verbum Dei pronunciare,
de Deo, divinisq; rebus, quid sit Deus, qui cul-
tus, & quomodo ei sint præstandi. Hæc autem
temeritas Philosophiæ humanæ, gignit aliud ni-
hil, quam falsa Numina, & meram Idolatriam,
ubi quidem Philosophica Religio omnium vide-
tur esse speciosissima. Horrendum sane auditu,
verissimum tamen est: Omnes Philosophos ex-
tra Dei Ecclesiam, & sine verbo Dei, esse Idola-
trias pertrahere. Idq; S. Paulus ex Spiritu san-
cto asseverat, inquiens: Qui cum cognovissent
Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gra-
tias egerunt, Sed EVANVERVNT in suis co-
gnitionibus. Et mox illam *ματαιότητα* exponit,
inquiens: *φάσκοντες εἶναι σοφοί, ἐμαζάνθησαν.* Et im-
mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in simi-
litudinem imaginis corruptibilis hominis, & vo-
luerunt & servierunt creaturæ potius, quam
creatori. Imo pleriq; etiam summi Philosophi,
simul fuerunt Magi, ut Eunapius de vitis ipso-
rum, & alij testantur.

Audiat igitur hoc loco Philosophia: Al-
tiora te ne quæteris, & ne Sutor ultra crepi-
tam.

Secundus abusus Philosophiæ est, vel artia-
culos Fidei divinitus revelatos, & a fide dignis-
simis

I

II.

simis Prophetis & Apostolis traditos, quia ne-
que Rationi humanæ per se noti, neq; eidem cō-
sentanei sunt, fastidire, exhibilare, detestari. Ut
Paulus veniens Athenas in Scholam cultissimam,
ibiq; docens: Homines coram Deo justos cen-
feri sine Lege, sineq; suis operibus, tantum lu-
sticia cuiusdam crucifixi hominis imputata per fi-
dem in ipsum: a sapientissimis illis atq; in omni
doctrinarum genere, exercitatissimis viris,
non tantum risu exceptus, sed etiam extreme da-
mnatus est tanquā homo phreneticus, contra no-
tissima humanæ Rationis principia, tetra para-
doxa in Deum contumeliosa, & moribus perni-
ciosa in medium afferens. Nam iusticia est νόμος
μορ, ἀδικία est ἀνομία, omnium sanorum iudicio. Vel
Articulos Fidei cum principiis Rationis humanæ
permiscere, concordare, concinnare, ne tam hor-
ride, tam absurde, tam scandalose sonent: Ex
hoc fonte omnium summæ corruptelæ Verbi
divini omnibus ætatibus promanant. Quo enim
homines ingenio, eruditione, probitate Philoso-
phica magis excellunt, eò callidius & dolosius,
dogmata divina dictatis Rationis conformant,
eaq; impostura plurimum damni in Ecclesia Dei
dant, dederunt, daturiq; sunt deinceps usq; ad
Filij Dei gloriosum adventum, qui istis præsti-
giis finem imponet. Vel articulos Fidei & res
divinas æstimare & dijudicare juxta Philosophiæ
principia, vel ex istis fundamētis sacra dogmata
velle stabilire, id quod valde præposterum
est.

Hic igi

Hic igitur Philosophia modestè hanc ad-
 monitionem maxime necessariam admittat:
 Mulier in Ecclesia taceat. Item: Captivanda
 est Ratio in obsequium Fidei. Augustinus in-
 quit: Tonante cœlo, taceant ranæ. Nam si hu-
 manæ sapientiæ hac in parte etiam frena laxen-
 tur, vitiabit Dei veritatem, & meros errores pro-
 ducet, id quod tot seculorum tristi experientia
 comprobatum est. Nec est nobis integrum hanc
 Pauli sententiam delere, τὸ φρόνημα τῆς σαρκός, Rom. 8.
 ἔχθρα εἰς θεόν.

Tertius abusus est: Ipsa Dei opera omnium III.
 sapientissima, præstantissima & saluberrima,
 vel inficiari, vel cavillari & damnare, tantum
 eam ob causam, quia Rationi humanæ vel impos-
 sibilia, vel incomprehensibilia, vel absurda vi-
 dentur. Commemorat sacra pagina, Filium Dei
 factum esse hominem juxta Dei decretum, idque
 unione personali absq; confusione naturarum,
 & hunc Messiam, patiendò pro peccatis non su-
 is, sed hominum, totaq; sua obedientia, recon-
 ciliasse eis patrem cœlestem, ac restituere justici-
 am & vitam æternam. Hæc absurdissima esse,
 omnes omnium Philosophorum Scholæ pronun-
 ciant. Hinc Paulus inquit: Nos prædicamus
 Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum,
 Gentibus autem stultitiam. Atq; hac in parte ait,
 Deum infatuasse sapientiam huius Mundi. Sic
 corporum humanorum, à feris, à piscibus, à vo-
 lucribus, à vermibus devoratorum, ab igne
 concrematorum, putredine consumptorum, & in
 tot partes

C

Cor. 1.



tot partes distractorum fore Resurrectionem,
pro anilibus fabulis derident. Ad eundem mo-
dum, pauxillo aquæ & Verbo Dei ibi recitato,
fieri interiorum hominum regenerationem, ac
donari eis cœlestia dona, pro mera superstitione
& delirio reputant. Et idem iudicium de reliquis
peculiaribus & mirandis Dei operibus proferunt,
Esa. 55. quia viæ Dei non sunt ut viæ hominis.

III. Quartus Philosophiæ humanæ excessus est,
cathedram Theologiæ consecratam, vel explosa
sincera Theologia solam occupare, vel ad speci-
em ea retenta, sacra dogmata Philosophia carnali
confundere, vitare, Eiusmodi autem confu-
sione rerum, Philosophia laudem eruditionis & sapi-
entiæ singularem aucupatur, & stolidos auditor-
es veluti aucupum fistula demulcet ac dementat.
Extant quorundam veterum ut Clementis, Ori-
genis & aliorum libri, in quibus Philosophia hu-
mana non tantum ipsos Articulos Fidei horribi-
liter obscuravit, sed ipsam quoque historiam sa-
cram, pene totam abstulit. Scholasticorum com-
mentaria sæpius Aristotelem quam Paulum cre-
pant. Imò in Ecclesiis repurgatis etiam videmus,
quibusdam hoc curæ fuisse, ut ex omni Philoso-
phia lumen quoddam accenderent ipsis Spiritus
sancti oraculis, scilicet. Et tamen eiusmodi com-
menta humanis cerebris mirifice placent.

V. Quintus excessus est: Non agnoscere in-
rerum humanarū perscrutatione aut cognitio-
ne, infirmitatem ingeniorum, sed plura tibi
arro-

arrogare, quam vel in promptu sit, vel qualis
 cunque industria carnali comparari queat. Ve-
 rosimilia pro certis: Dubia pro veris: perplexa pro
 perspicuis vendicare. Deplorat quidem Cicero
 non raro, tum cæcitatem, tum imbecillitatem
 mentis humanæ, sed interdum tamen velut sui
 oblitus, omnia sua vela in extollenda sua Philo-
 sophia expandit, totoq; Pelago triumphū quasi
 ostentat. Ait enim Philosophiam esse divina-
 rum & humanarum rerum scientiam. Philoso-
 phiam nos primum ad Deorum cultum, deinde
 ad Ius hominum, quod situm est in generis hu-
 mani societate, tum ad modestiam magnitudinē-
 que animi erudire: Eandemque ab animo tan-
 quam ab oculis caliginem dispellere, ut omnia
 supera, infera, prima, ultima, media, videamus.
 Item: Extrahere vitia **RADICITVS**. Hæc
 sunt nimia, imò manifeste falsa, nec debent
 excusari.

Lib. 1. de
Orat.

Lib. 1. Tus
Quæst.

NB.

Lib. 2.

Tusc.

Quæst.

Cice. 3. de
oratore.

Stultis autem stultior Gorgias ille Leontinus
 fuit, qui se instructum ac paratum esse dicebat,
 de qua vis materia de qua interrogaretur, sine
 omni cunctatione, congruentia, erudita, admi-
 randa proferendi. Si quis igitur ad ipsum acce-
 dens quæsiuisset, quidnam esset Deus Essentia
 sua? Nonne cum Simonide (si quidem cum eo
 sapere voluisset) respondisset: Quo diutius co-
 gito, eo minus inuenio. Nam spermologia ina-
 nis quæstionem istam non dissoluisset.

1. De na-
tura Deo-
rum.

Utæq; autem sententiæ in vicio ponendæ
 sunt: Nihil certo sciri: Et omnia certo sciri in Philo-

sophia. Nam nec nihil, nec omnia novit, juxta
illa *κεττις* supra exposita.

VI “ Sextus Philosophiæ excursus est, Gnomas
“ Philosophicas, & descriptiones virtutum, supra
“ sententias sacrarum literarum, & definitiones
honorum operum, quæ in eis extant, extollere.
Sed cum præcipua Philosophiæ humanæ laus &
decus sit, quod sit sapientia quædam de externa
disciplina secundæ Tabulæ, ideo non nihil contra-
hendæ sunt illæ flatuosæ prædicationes. Nam
certa res est, Philosophos nec veram efficientem
causam actionum, nec formalem, hoc est, Fidem
eam moderantem & ornantem, nec finalem præ-
cipuam, hoc est, veram Dei gloriam posse de-
monstrare. Et sane merito queruntur piæ elegan-
tissimas Gnomas in Salomone, Syracide, & re-
liqua Scriptura sacra, non sæpius, non studiosius,
non honorificentius produci, reperi, inculcari.
Nam imperitiores hoc errore passim imbuuntur,
quasi verbum Dei sit horridior, tenuior, squali-
dior doctrina neque tam suavia, tam salutaria,
tam utilia, tam rotunda, tam erudita dicta conti-
neat, ut Hesiodus, Homerus, Phocylides, Euri-
pides, Sophocles, Plato, Aristoteles, Cicero, vel
historici, aliiq; ethnici Scriptores protulerunt.
Hinc fit, ut passim Theologica studia magis eth-
nicisent, quam debebant. Non autem vituperan-
dum esse censeo, moderatum ethnicarum sen-
tentiærum usum, sed abusum tantum hoc loco
excipiendum & segregandum esse judico.

Septimus

Septimus abusus est, Ethnicæ Grammaticæ, peculiare phrasen in sacris literis occurrentes, allegare. Scribit Apostolus: Iusticiam Dei patetieri sine Lege. Hic Ethnicus tantum activam Dei iusticiam intelligit iuxta legem, quam vel Deus ipse præstat, vel a rationalibus creaturis ut præstetur, exigit. Sed Apostolus eam locutionem passivè usurpat, hoc est, quæ nobis propter Christum imputatur. VII.
Rom. 3.

Item: Astringere Deum, eiusque actiones & dictata, ad gentilem Dialecticam, vel si eidem non congruant, ea aspernari atque, reicere, ut legimus in Iohanne: Verbum caro factum est. Ibi negat Grammatica gentilis, Verbum dici Filium Dei. Et Dialectica ait cum Physica, duas disparatas species personaliter uniri non posse. Negat quoque tria ἑνὶ ἁπλοῦς unicam tantum esse οὐσίαν. Sed cedat Creatori creatura, sapientia inferiori superiori, imo cedat nox luci diurnæ.

Istas Philosophiæ carnalis exorbitationes omnes existimo S. Paulum φιλοσοφώτατον, in conspectu habuisse, cum scripsit: Videte, ne quis vos DEPRÆDET VR per Philosophiã. Nam isti excessus omnes, impietatis veræ contumeliam non dissimulandam, & depravationem non leviem redundant, id quod nemo inter Christianos quidem negare poterit.

Sed cur addit, & per inanem fallaciam? proculdubio voluit suæ asseverationi, in speciem subobscuræ & duriusculæ, lumen accendere, declarati-

claratione perspicua, quod Philosophia in rebus
Fidei, de quibus solis hic differit, fallacia qua-
dam homines capiat, constringat, alioque agitet,
& quidem INANITANTUM FALIACIA. Nam
hominibus naturaliter id abblanditur, quod Ra-
tioni eius affine & conforme apparet. Quando
igitur philosophia callide suas metas excedens,
articulos Fidei aut res Dei, ad suam sapientiam
deflectit & concinnat, mirifice hominum ocu-
los & mentes præstringit ac fascinat. Nec teme-
re Paulus in epistola ad Corinthios affirmat. σοφί-
α ἐν ἀνθρώπων, ἐν πεθοῖς καὶ διδασκαλίαις ἀνθρώπινης σοφίας λόγοις
consistere. Id vero exemplo uno aut altero de-
clarandum est:

Rom. 4. In doctrina de justificatione peccatoris co-
ram Deo videtur nimis horrida & absurda esse
sententia, quam Deus proponit: Ei nimirum, qui
non operatur, credenti autem in eum, qui justifi-
cat IMPIVM, reputari Fidem ad Iusticiam. Iam
Pseudoapostoli, per Philosophiam suam hæc pul-
chre moderabantur, Iustificari quidem peccato-
res asserbant, fide in Christum, sed non sola Fi-
de: Opera enim SIMVL esse ad salutem necessa-
ria. Hæc concinna moderatio adlubescebat Ga-
latis usq; adeo, ut totæ Ecclesiæ in eam senten-
tiam, repudiata Pauli doctrina, discederent. Cau-
sa eius rei est, quia Lex Naturæ in corde homi-
num sic docet, Deum etiam requirere nostram
obedientiam, ac sine ea nos iniustos, justos co-
ram Deo esse non posse. Hanc suavem mixturam
Philosophiæ cum Theologia, totus Papatus ur-
get.

get. Imò etiam in Ecclesia Dei nihil periculosius docetur, quam in ipso articulo Iustificationis coram Deo, non prorsus excludenda esse bona opera (ut quidem sacræ literæ, & vir Dei Lutherus asserunt) sed oportere tamen aliqua ratione ei adesse. Et quo homines sive ingeniosiores sive callidiores sunt, eo periculosius hanc fallaciam alijs insinuant, & plures **DEPRÆDANTVR**. Alijs præterea odia dira constant speciosis clamoribus, ipsa opera rejici, & licentiam Epicuream & Cyclopæam stabiliri ab ijs, qui a se dissentiunt.

Sed Paulus ait, esse inanam fallaciam Philosophiæ gentilis. Nam ea non habet fundamenta eius iustitiæ, quæ in Evangelio revelata est. Deinde terminos suos excedens, intempestive miscetur articulo Fidei, de iustitia imputata, per & propter Christum. Esse quidem Bona opera necessaria, & debere sequi Fidem & reconciliationem cum Deo, extra omnem disputationem positum est, Sed hosce fructus & indicia salutis acceptæ trahere in ipsam iustitiæ coram Deo imputationem, seu (ut Lutherus loquitur) in Articulum Iustificationis, hoc inquam, Philosophiæ mundanæ nequaquam est liberum. Etenim ista carnalis sapientia **CONTRA Christum**.

Sic in negotio de Cœna domini, hæc verba Christi **D V R A** videntur, & Rationi humanæ prorsus absurda: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Quomodo enim corpus finitum simul ac semel, potest diversis locis existere?

existere? Quomodo unus potest integrum Christi corpus comedere, & alter similiter, ac sine ordine plures in toto orbe ubi coena Domini administratur, & quidem absq; sensu, & citra lationem aut lacerationem eius corporis? Quomodo una ovicula mactata, potest à pluribus simul integra, & quidem diversis locis manducari? Philosophia itaq; ex cerebro humano invenit elegantiore interpretationem, ut ista absurda Rationis omnia præcaveantur, relinqui nimirum corpus Christi in coelo, sed virtute & efficacia tantum sua ad nos dimanare. Sic igitur verba Christi accipienda esse: Hoc est corpus meum, id est, Hoc lignum est mei corporis ad nos virtute sua penetrantis, & est testimonium beneficia Christi nobis per verbum applicari. Hæc concinna glossa, balbutientis illius & obscuri Theologi vocem corrigens, mirabiliter probatur hominibus, ac totas gentes DEPRÆDATVR sua inani Fallacia. Quid autem hac re indignius est? Philosophia est revera κενὴ, id est, vacua in hac parte, quia nihil habet ex sese de Coena Domini, & tamen suis applicatis principiis ad res Dei, superciliose homines à via veritatis abstrahit, & decipit, estq; revera κενὴ πάντῃ.

Vnicum tantum adhuc exemplum subjungam, quia operæ precium est, hanc INANEM FALLACIAM Philosophiæ, per quam DEPRÆDATVR homines vehementer, cum pia attentione observare. Docent sacrae literæ
Anima-

Animalem hominem **NON CAPERE** ea, quæ
sunt spiritus Dei: Stultitiam enim ei esse: &
NON POSSE INTELLIGERE. Diserte autem ^{1. Cor. 2.}
loquitur Paulus de nondum renatis, deq; spiri-
tualibus rebus. Nam in rebus carnalibus hoc est,
Rationi humanæ subiectis, est sane aliquod (ut
vulgo loquuntur) liberum arbitrium, id quod
hoc loco in disceparationem non adducitur.

Iam vero Philosophia asperitatem istius Pauli-
næ, au potius spiritus sancti sententiæ, non nihil
mitigare studet, tali pacto: Per se quidem inquit, ,,
eas res humana Ratio ignorat, Sed illis auditis,
præbet nutum seu assensum: Verum oportet ,,
Spiritum sanctum accedere, cui quidem primæ
partes sunt ascribendæ. Assentitur itaq; homo,
sed non sine Spiritu sancto: qui **AVXILIVM**
ei præstat. Et quo illi Philosophotheologi sunt,
doctiores vel astutiores, eo maiori specie & plau-
sibilitate ista norunt venditare. Magnifice jubent
inspici dona Dei hominibus concessa. Non e-
nim eos naturaliter agere, Vt Sol certum cursum
in cœlo conficiens, aut Magnes trahens ferrum.
Sed voluntate eos præditos esse, eam vero non
dici posse meram Noluntatem, Nec hominem,
esse faxum, truncum, stipitem, aut dolium Dio-
genis quod solis radios in se immisos, non intel-
ligit, nec adprehendit, sed mere passive sese
ad eos habet. Nec posse fieri Conversionem abs-
que assensu, Nec mandata Dei esse frustranea.
Et plurima absurda, imo calumnias coacervat.
Philosophia hac in parte, ut veræ sententiæ ,,
D odium ,,

odiam generet, suo vero applausum paret. Hac
autem vere INANI FALLACIA, multos ho-
mines DEPRÆDATVR, atq; erroribus invol-
uit.

Atqui Philosophia est κενὴ in hisce rebus. Ni-
hil enim de eis ex sese cogniti habet. Deinde etiam
ignorat horribilem corruptionem & perversita-
tem humanæ naturæ. Est igitur mera impostura,
quod sua principia in res Spiritus Dei, intempe-
stive intricet. Et sunt illæ calumniæ quoq; quas
effudit, vanæ & fallaces, Nam non confirmant
sacræ literæ ignaviam in nondum renatis, non
jubent eos rabiose & furiose Deo repugnare, non
permittunt, ut Verbum Dei, quod est officina pi-
etatis, negligatur, & quæranrur tantum raptus
Enthusiastici, mirifici, & violenti sed iubent po-
tius audiri verbum Dei, ac docent, per hoc verbū
& Sacramenta Deū esse efficacem, accendere Fi-
dei lucem, & regenerare. In hac igitur inani fal-
lacia Philosophiæ, significat Paulus istam depræ-
dationem fieri, ac vitium Philosophiæ descri-
bit. Nam non est eius nativa proprietas, vel de-
prædari, vel fallere homines.

Porre addit Apostolus istius fallaciæ Philo-
sophiæ duos quali nervos, quibus id perficiat
& simul tamen infirmitatem eorum significan-
tibus verbis exprimit, κατὰ τὴν παράδοσιν inquit
τῶν ἀνθρώπων. Magni sunt ab hominibus excel-
lentes viri, ac plurimum ipsorum sententiis mo-
ventur, inde fuit in schola Pythagorea κριτήριον
illud.

illud celebre: *αὐτὸς ἔφα* Similiter crebro auditis,
sic Plato, sic Aristoteles dicit peritis in arte cre-
dendum: Doctiorum sententiis cedendum est.
Sed si illæ fallaciæ Philosophiæ rebus Theologicis
admixtæ, recte æstimentur, patebit, tantum esse
hominum & non Dei *παραδόσεις*. Verum de sacris
dogmatibus audis Prophetas sic magno spiritu
sonoq; gravi veluti ebuccinâtes, Neum Iehovah:
Sic Dominus Deus exercituum locutus est: Au-
dite cœlum & terra, quæ Dominus locutus est.
Itaq; traditiones illæ humanæ, non debebant
dictata omnipotentis Dei reformare, aut corrup-
pere.

Deniq; adiungit, *κατὰ τὰ σοιχῆα τῷ κόσμῳ*. Ele-
menta autem Mundi hic appellat, totam sapien-
tiam carnalem seu mundanam, quantum quidem
in hoc Mundo, sine verbo Dei, homines conse-
qui valent. Ea vero mundanis hominibus, seu fi-
liis huius seculi (ut scriptura eos nominant) Vni-
cè placet, ut supra ostensum est. Sed si oculos a-
perias, videbis tantum esse quasi Elementa
Mundi, hoc est, sapientiam tenuem, imbecillem,
longeq; dissitam à rebus cœlestibus, divinis æ-
ternis. Hosce igitur suos titulos intuens Philo-
sophia, quos quidem ei Spiritus sanctus inscri-
psit, nempe eam esse tantum *παραδόσει τῶν ἀνθρώπων*,
ἢ σοιχῆα τῷ κόσμῳ, nec esse integram legem
Dei, nec esse Evangelium Christi, nec extra
hunc Mundum homines perducere ad regna cœ-
lestia, sed tantum relinquere eos in hoc Mundo,
pennas suas quantumvis coloribus variis radi-
antes, non nihil demittere debebat.

Ex hisce igitur omnibus in unum collectis, satis (mea quidem sententia) clarum est, à Paulo non simpliciter, sed κατὰ τὴν Philosophiam taxari, hoc est, eius Excessum & abusum tantū culpā pari. Est igitur Minor tuæ argumentationis falsa, ac procedit ex fallacia accidentis, & à dicto secundum quid.

Superest, ut de legitimo usu sanæ & sobriæ Philosophiæ, præsertim in Theologia pura aliquid exponam, ne tantum reprehensionis istius gravissimæ sonum patiar in auribus auditorum residere. Sed tempus nos destituit, nec desunt studiosis vera Encomia Philosophiæ, quæ sæpe à suis præceptoribus audiunt. Plurima itaq; paucis complectar.

Verum ac ingens decus Philosophiæ sanæ est, quod est donum atq; inventum Deorum, ut etiam gentes aliquomodo cognoverunt. Nam & Lex naturæ omnium hominum pectoribus insita, principia rerum agendarum suggerens, vere δὴ δαιμόνια τῶν θεῶν prædicatur: Et mens ratiocinando mirabiliter procedens, multaque eliciens, & observationes plurimarum rerum in operibus. & cursu huius mundi, innumeras utilitates in tota vita humana afferunt. Nulla enim civitas, nulla Respub. nulla domus, nulla functio vel privata, vel publica, subsidio Philosophiæ carere potest. Imo, si Philosophiam removeris, etiam homines ipsos removeas necesse est, quia sine Philosophia homo non est homo, Nam ipsa Ratio in homine quantumvis indocto, est quædam Philo-

Philosophia, licet exculta non sit, tantisq; rebus, instructa, ut in aliis, eius doctrina, quam sapientes viri collegerunt, liberalius institutis.

Nec reiiciendum est prorsus hoc gentile dictum: Aut Philosophos præficiendos esse Imperiis, aut Imperatores oportere Philosophari. Nō enim ea fuit sententia Platonis, & aliorum: Reges aut Principes in omnes Philosophiæ subtilitates sese oportere immittere, sed hoc ipsis necesse esse, ut sint instituti in Ethicis potissimum, in Geographia, & in Phycis non nihil, quia sua sapientia aliis præesse debeant. Nam barbari & imperiti gubernatores, sunt aut voluptarij Epicurei, aut tyranni immanes, ubi nihil audias præter illud: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Verum in Ecclesia Christi, pietatis cognitio primum locum apud Reges habere jure debet. Quanta barbaries est inter Scythas aliasq; feras gentes, quanta morum confusio, quā tragici casus, ubi nulla Philosophia hominum mentes excoluntur, raræ visuntur civitates, & more canum ac latronum inter se vitam agunt,

Sed Theologiæ quoq; sanctæ, sua præstat servitia Philosophia pura, quæ non sunt contemnenda. Nam sine notitia sermonis, neque intelligi monumenta Prophetica & Apostolica, neq; explanari & propagari doctrina cœlestis potest. Experientia enim cognitū est, imperitiam linguarum sæpe magnos errores gignere, imo etiam callidos hæreticos falsis interpretationibus, suos errores facere, & multis imponere, ut Beza Sacramentarius, Matth. 28. *ἐξουσίαν* veritatem

Act. 3.

tatem, ut hoc astu humanæ naturæ in CHRISTOCÖ-
municatam omnipotentiam detrahat. Et in
Actis vertit, Oportet CHRISTUM cœlo capi, ut
eius corpus cœlo includat usque ad novissimum
diem, & infringat sua glossa verba Testamenti
Dominici: Hoc est corpus meum, id est, non
est corpus Christi, sed eius figura tantum.

Non suppeditat quidem Dialectica res ipsas
divinas, sed metas tamen ostendit, quomodo ea,
quæ sacris voluminibus comprehensa atque ex-
posita sunt, ordine ad discendum utili, sint tra-
denda. Insuper in iudicandis rebus, quomodo
argumentatio coagmentanda, & qua ratione
propositiones examinandæ sint, demonstrat. E-
jusmodi vero commonefactio, prodest ad revin-
cendos præstigiatores, qui vel oratione copiosa
involuunt res, vel vitiose membra cõtexunt. Mi-
nisterio igitur huius artis, quia convincendi sunt
contradicentes, ut Paulus monet, Ecclesia Dei
carere non potest. Nec fuit ignarus Dialectices
Paulus, qui non tantum illustri Methodo res Fi-
dei exponit, sed tam dense quoque argumenta
sua constipat, ut sine admiratione legi non queant.

Rhetorica vero suos quoque colores rebus
divinis aspergit, ut in concionibus Prophetis &
Apostolicis videre est.

Phyfica autem res multas, quarum in sacris
litteris mentio fit, explicat, ut Esa. 18. narratur
de vasis papyraceis, nec tradit Propheta quid
sit papyrus. At Phyfica historias plantarum an-
notans, docet esse juncum in Ægypto, Syria,
& Mesopotamia nascentem, ex quo antiquitus
chartæ

chartæ scriptoriæ, naves & arculæ, & Vtensilia fieri solita sunt, & proculdubio in ijs regionibus adhuc fiunt. Salomonem legimus peritissimè dissèruisse de Cedro Lybani, usque ad Hyfopum nascentem è pariete, de animalibus, volucris, reptilibus, & piscibus.

Astronomia in anni descriptione, Eclipsium computatione, aliisque rebus, Ecclesiæ Dei servit.

Geographia loca Biblicarum historiarum nobis commonstrat, ac docet, ubi Bethlehem sita fuerit, in qua Messias noster juxta divinas promissiones natus est. Vbi Hierosolyma constitit, ad cuius portas expiatio peccatorum totius Mundi facta est per Dominum nostrum Iesum Christum. Vbi Ægyptus sit, in qua Patriarchæ peregrinati sunt. Vbi mons Synai sese erigat, in quo Lex Moralis omnes mortales obligans, præsentia & Maiestate altissimi Dei singulari est promulgata. Vbi regiones illæ jaceant, quas Apostoli Ministerio Evangelij peragrarunt.

Arithmetica in supputandis Mundi temporibus, à prima creatione huc usque in observandis festis, in numerandis Monarchiis, in notandis hebdomadibus Danielis usque ad Christum & in plurimis rebus ministeria Theologiæ non parva præstat. Imò quomodo ex patefactionibus divinis, numerare possemus tres divinitatis personas, si numerandi arte, quæ sua principia habet in natura hominis, destitueremur.

Ecclesia porro Dei, in qua vox cœlestis

plantatur, rigatur, crescit, propagatur, indiget etiam hospitii, iudiciis, protectione, tranquillitate in hoc mundo. Itaque tota Ethica sapientia Theologiae servit, modo fines suos non egrediatur. Vivit ipse Christus sub Magistratu politico, habitat Capernai, solvit *διδραχμα*, fruatur commodis publicae pacis.

Col. 3.

Postremo ars Musica Ecclesiae conventus exornat & recreat, & Deum celebrat, ut ex cantilenis Moïsis, Ezechiae, Davidis & aliorum constat. Nota est vox Pauli: Verbum Christi habitet inter vos abundanter, in omni sapientia, docentes, & commoneutes vosmetipsos Psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia canentes in cordibus vestris Domino. iam vero Theologia sonorum harmonias non docet, Sed Musica.

Nec male dictum est: Gratam famam de Deo in artibus sparlam esse, licet Philosophi non satis eam ipsam sententiam intelligant.

Non igitur potest Theologiae propagatio, in Scholis praesertim, ubi phrasae aliaeque res dextre explicandae sunt, Ministerio Philosophiae mundioris prorsus carere, idque summum eius ornamentum est, modo (quod saepius iterandum est) famulam sese, rerum divinarum, non earum Reginam aut Moderatricem esse, reverenter agnoscat & profiteatur.

Sapienter igitur & recte Scholis Christianis additi sunt & reliquarum facultatum & artium Professores, ut Philosophia ad salutarem verbi divini plantationem, quantum quidem potest conferat

conferat. Nam remotis vel obscuratis bonis artibus, barbariem in vita, in moribus, in judiciis, & in ipsa quoque Dei Ecclesia, gignentem errorum mirabilia portenta, & summam Dei contumeliam exurgere necesse est.

Discat igitur studiosa inventus, dignitatem, præstantiam & utilitatem sobriæ Philosophiæ, quæ quidem verbo Dei illustratur, magni facere & vitet excessus atq; abusus eius, neq; tamen propter vitium, totam rei substantiam aspernetur aut abijciat. Imò accuratius incumbat liberalibus artibus, ut aliquando contra depravatores cœlestis veritatis, qui in hac senectâ Mundi plures futuri sunt, potentia verbi divini gravius & nervosius dimicare queat, & ipsorum præstigias refellere.

Cum autem pura Philosophia, & illustratio bonarum artium, sit excellens donum filij Dei per spiritum sanctum, rogemus coniunctis votis, ut hic noster præceptor, passim in Ecclesia sua pias Scholas benigne conservet ac regat, & nobiscum quoq; in hac Sarepta sit & maneat, gubernet pietatis & artium studia, custodiat salutare professores, augeat dona, industriam, fidem, diligentiam docentium, ac discentes suis radijs clementer illuminet, ut in hac pietatis & eruditionis officina ea discant, quæ ad celebrationem Nominis divini, & ad usum aliorumq; hominum honorem & salutem pertinent.



D I X I

VERBA ORANTIS SALOMO-
NIS REGIS PHILOSOPHO-
rum omnium Principis Sap. 9.

v. 4. Deus patrum meorum, da mihi sedium tua-
rum assistricem Sapientiam & noli me reprobare à
pueris tuis. v. 5. Quoniam seruus tuus sum ego &
filius ancillæ tuæ, Homo infirmus & exigui tem-
poris & minor ad intellectum iudicij & legum. v. 6.
Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si
ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabi-
tur. v. 16. Difficile æstimamus quæ in terra sunt,
& quæ in prospectu sunt invenimus cum labore quæ
autem in cælis sunt, quis investigabit?

ECCLESIASTES SALO-
MONIS cap. 1. v. 2.

*Vanitas Vanitatum, dixit Ecclesiastes: Vanitas
Vanitatum, & omnia Vanitas. Et. v. 17. De-
didiq; cor meum, ut scirem prudentiam atq; doctrinam,
erroresq; & stultitiam: & agnovi quod in his quoq;
esset labor & afflictio Spiritus v. 38. Eò quòd
in multa sapientia multa sit indignatio,
& qui addit scientiam ad-
dit & laborem.*

FINIS.

)-
a.
à
T
n-
b.
fi
hi
at,
ia

lit
e-
m,
og
!



99 A 6915

ULB Halle

3

003 497 321





56

Fo. Steu
day. 23


WA

H. 57





52



V A E S T I O

E D I C T O P A V L I
C O L O S . I I .

te, ne quis vos depradetur per
P H I L O S O P H I A M

E T
R E S P O N S I O

per
I O H A N N E M
V V i g a n d u m .

I T A T A I N A C A D E M I A
omontana, in publica Magistrorum
promotione 22. Martij, Anno
1 5 7 5 .

R E G I O M O N T I
s hæredum Iohannis Daubmanni.
penis Christophori Hoffmanni
M A G D E B U R G I
nuò Excudebatur ab Andrea Dunckero
A N N O 1 6 0 0 .

1

